



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum  
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

**Kolb, Gregor**

**Rottwilae, 1725**

**VD18 12054054**

Seculum VI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

Archiepiscopus solatio suo maximo reperta in D. Albani templum transtulit, translationem hanc clarissimis miraculis ratam habentibus Superis. Annis 16. præfuit Ecclesiæ Moguntinæ D. Aureus, quem sacra in sede sunt secuti Episcopi complures, non nisi nominibus denuo & ferè communibus encomiis celebres, dicti omnes *Episcopi laude dignissimi, pastores boni &c.*

- XXVI Eutropius sed. an. 23. sub D. Leon. I. D. Hil-  
lar. & D. Simplicio.  
XXVII. S. Adelbertus de an. sedis D. Felice III.  
XXVIII. Ratherius non constat. D. Gelasio.  
XXIX. Adelbaldus D. Anastasio II.

## SECULUM VI.

- XXX. Landfridus, de sedis an. sub D. Symacho.  
XXXI. Rudhardus, non constat, D. Hormista.

### XXXII. SIDONIUS II.

**S**idonius II. sub D. felice IV. & aliis hujus Seculi V. Pontificibus floruit: quamvis enim de Sidonij annis in sede Episcopali numeratis non clarè constet, posteris nihilominus eundem annorum numero & meritis excelluisse, diversæ prodiderunt abundè rerum circumstantiæ: siquidem non nisi sex aut septem numeravit Moguntia Episcopos hoc VI. Seculum, inter præstantissimos numerans Sidonium: Moguntiam quippe hætenus sub ruinis sepultam suscitavit denuo quæ consiliis, quæ auxiliis Sidonius. Vigorem pristinum reddidit sacris officiis, eum in finem erectis templis & ædificiis aliis ad fovendam religionem maximè idoneis. Doctrinâ, eloquentiâ & virtutibus aliis cum esset in Ecclesia, præsertim Germana celeberrimus, hæreticorum sui temporis mal-leus ex merito suo est appellatus. In egenos præsertim liberalissi-



mum fuisse ferunt adeò, ut pauperum, exulum & captivorum passim appellârint refugium. Venantio Fortunato hujus ipsius Se-  
culi VI. Pictaviensium Episcopo, auctori sanè laudatissimo, plurimum obstricta est posteritas, quòd hujus ipsius Sidonij encomia elegantissimi carmine fuerit profecutus in hunc modum à Petro Serario descriptum:

Reddita ne doleas, felix Moguntia, casus.  
Antistes rediit, qui tibi ferret opem.  
Ne mœrori gravi lachrimans orbata jaceres,  
Te meruisse time.  
Porrigit ecce manum genitor Sidonius urbi,  
Quo renovante locum, prisca ruina perit.  
Jura Sacerdotum sacro moderamine servans,  
Per cuius studium crevit & ipse gradus,  
Parturit assidue gravidos Ecclesia fructus,  
Quam vir Apostolico vinctus amore regis.  
Suscipit hæredes cœlesti germine natus,  
Tali nupta viro quando marita placet.  
Te vigili custode lupus non diripit agnos:  
Te pascente gregem, non ovis ulla perit.  
Cautius in tuto per mitia pascua ducit:  
Toxica ne noceant, florea rura paras.  
Sis cibus ut populi, placidè jejunia servas,  
Et satias alios, subtrahis unde tibi.  
Nudos veste regis, captivis vincula solvis,  
Deposito reddis libera colla jugo.  
Exulibus domus es, simul esurientibus esca.  
Felix, cui Christus debitor inde manet.  
Te doctrina probum, providentia sacra modestum  
Fecit, & eloquio vincere mella tuo.  
Templa vetusta novans, specioso fulta decore:  
Inseris hinc populis plus in amore Deum.  
Ut plebem foveas, Rheni bene construis amnes.  
Quid terris referet, qui bona præbet aquis?  
Hic quòd fana micant, ac instaurata quòd extant,  
Vivis in æternum laude fluente tibi.  
Hac cresces longos meritorum fruge per annos,  
Et crescente diu de grege vota feres.

Car-



Carmen hoc, tametsi vel seculorum multorum injuriâ vitiatum, vel delicatis hisce seculis vix bene probatum, apponere tamen libuit, ut quantus fuerit Episcopus Sidonius, ex testimonio simul Historici & Poetæ antiquissimi colligere liceat.

XXXIII. Wilbertus, de an. Sedis non constat. sub Benedicto I. & Pelagio II.

XXXIV. LVDEGASTVS.

**L**Udegastus, alii dictus Lindegastus, sub Gregorio M. Moguntiaë mitrâ est exornatus. Eadem ferè ætate Theodoricus & Theodebertus in Austrasia fratres regij, armis sese mutuis aggressi, in Tullensibus denique campis pugnam conseruere: ea enim ex pugna victum ac fugitivum fratrem Theodebertum persecuturus Theodoricus ad Ludegastum Episcopum pervenit, ubi nova consilia intellexit, quibus ad constantiam animatus Theodoricus fratrem amplius est persecutus. Brevissimo hoc compendio laudat Ludegastum Trithemius, vocans eundem *magnarum virtutum in Christo virum*. Sedit an 8.

Reflexio Supra Seculum VI.

**H**Actenus Hübnerum Seriem Antistitum Moguntinorum unâ mecum scribentem in majoris momenti capite refragari mihi vix inveni, quod magni beneficij loco habendum censeo. Id solùm encomio dignum haud judico factum, quo DD. Maximi & Aurei insignes virtutes angusto admodum compendio constrinxit, cùm res alias levissimas multis ambagibus non cessavit prosequi. Id etiam captu difficillimum hoc Seculo visum est in Hübneriano tomulo VII. pag. 15. ubi author hunc in modum scripsit: an: 525. *Moguntia magna sui parte est restituta, cui restituendæ Dagobertus Francorum Rex primus hujus nominis operam suam contribuit.* Enim vero huic VII. multum adversatur tomul. II. & tabula ex Genealogicis 49. quibus in paginis Dagobertus I. Clotarj filius vix



anno 600. natus, & an. 631. regnare, & tamen jam an. 525. operam restituendæ Moguntiaë tribuisse refertur. Profectò rarum prorsus naturæ beneficium, centum annis priùs jam regnare, aut operari, antequam nasci. Verùm levior hic inter plures Hübneri defectus facillè illi condonatur.

## SECVLUM VII.

XXXV. Rudelinus, aliis Rudhelmus, sedit an. 10. sub Bonifacio III. & IV.

XXXVI. Luthvvaldus, an. 11.

XXXVII. Leovvaldus an. 12. sedit.

A Trithemio communibus laudantur laudibus, alter *Christianissimus*, alter *Vir sanctissimus* vocatus. Floruerunt sub Pontificibus Theodoro I. D. Martino I. D. Eugenio I. & horum successoribus.

### XXXVIII. RICHBERTVS.

**R**ichbertus, quem alij dixerunt Rigbertum & Sigebertum &c. Sed an. 13. si tamen turbata tempora statuere annorum finunt numerum, profectò hoc seculo incertissimum.

## SECVLUM VIII.

### XXXIX. GEROLDVS.

**G**eroldus Richberti successor foris, quàm domi illustrior, plus Martem promovendo, quàm mortem meditando sese consecravit totum, factus denique Martis in prælio & mortis victima. Geminis nimirum bellis Carolus Martellus, Francia Major Domus appellatus, tunc temporis implicitus, Burgundos ab obsessa Moguntia repulit, & inde in Thuringiam adver-

sus